



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Honore, Dignis Vel Indignis, Jvste Vel Inivste, Deo
Semper Jvstissimo, Dato, Negato, Violato**

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1650

§. 6. Ephræm diuinâ prouidentiâ è carcere liberatur, in quem iustiſimè
coniectus erat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48689](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48689)

socios fuerit animaduersum; sed prima statim vice, qua Angelus ei apparuit, digitum intendit ad causam tantæ calamitatis, miserum scilicet pecus, quod crebra lapidatione confecerat; quam causam ipse etiam ceteris captiuis ingenuè detexit.

§. VI.

Ephraem diuinâ providentiâ è carcere liberatur, in quem iustissimè coniectus erat.

Nam mense vno antè, quàm in carcerem daretur, quid fecerit ipse sic narrat. Cum puer, inquit, sanè malè moratus, iussu parentum suburbium peterem, repertam in saltu buculam fœtu grauidam cœpi crebra lapidum insectatione eò vsque persequi, donec onere ventris & cursu fatigata concideret. Mortua feris per noctem in prædam cessit. Ego cœptum profecutus iter obuiam habui iuuenæ dominum, vltimæ sortis & fortunæ hominem, sollicitè pecudem amissam vestigantem, meque peramanter salutantem; rogantemque an aberrantis alicubi bouis vestigia in silua deprehendissem? Ego, vt me extra suspicionem facti ponerem, nullo dignatum responso, insuper etiam contumelijs oneratum dimisi. Altero post mense eandem viam remetiri iussus in nemore

more à nocte interceptus, & his malis exceptus sum, Deo delictum vindicante. Postquam ergo & agnouit malum suum meritum, & socijs vinculorum id aperuit, tandem tertia vice apparenti Angelo, laudata diuina æquitate, supplex factus, obsecro Domine, dixit, qui me tam clementi affatu in vltimis his periculis & ærumnis meis dignatus es, assere me ex vinculis in pristinam libertatem, ego tibi vicissim totum vitæ meæ æuum deuoueo despondeoque: monachum profitebor, & in omni vita sincera, fid Deo seruiam. Subridens ille: semel dumtaxat adhuc ad Tribunal sisseris, & missionem accipies. Ah! Domine, inquam, minas & plagas Iudicis pertimesco, & reformido. rursus ille placidè: tam grauitè te peccasse non oportebat; nunc quoniam, ob improbitatem tuam, tu ipse te his calamitatibus implicasti, quid agam? Enimuerò non multa patieris, succedet huic nouus prætor, qui te missum faciet; & cum dicto recessit. Anxius ego propter euentus incerti expectationem. Post quartum diem nouus Prætor magistratum inuit, parentibus meis familiariter notus; qui octauo, quàm inerat præturā, die quærit ex præfecto Carceris,

ceris, quos teneret in vinculis. Neminem, inquit, præfectus, præter puerum. Productum in quæstionem agnoscit, & nihilo se-
 ciùs ex legum præscripto causam cognovit,
 & absolutum dimittit. Ego præter exspe-
 ctationem absolutus rectà in montem pro-
 fectus ad venerandi senis pedes procubui,
 statuq; vitæ & discriminis explicato in ver-
 ba religionis & monachi iuravi. Hæc ferè
 pleraq; Raderus, post suprà nominatos. Quæ
 clarè commonstrant, homines sæpe se ipsos
 fallere, dum putant, se innocentes. Etsi
 enim in ea re non deliquerint, ob quam car-
 ceri addicuntur, aut aliopacto accusantur,
 damnantur, puniuntur; tamen Deus scit,
 videtq; eos aliunde pœnam commeruisse,
 qua proinde illos finit plecti. Itaque si cui
 malè aliquid succedit, si mittitur in lapici-
 dinas, si venit ad Charontis ianuam, si sit
 vel hosti miserandus, si malis mala succe-
 dunt; non dicat, se innocentem pati. Esto
 non fecerit, quod fecisse dicitur; tamen ali-
 quid patrauit, ob quod nefastum diem est
 meritus. In titulo homines errant, non er-
 rat Deus in supplicio. Immò sæpe, vbi cul-
 pam vel nullam, vel non nisi exiguam agno-
 scit quispiam, ibi diuina statena scelus repe-
 rit.

rit. Ephræm ludens vaccam occidit, & ecce quàm diuturno carcere, quantoque tormentorum, ac ipsius mortis discrimine ludum illum luit? Ludunt & alij quotidie; sed ita ludunt, vt ij, qui excubias agunt in Nau-pacto: rident, dum peccant; vt, dum non peccant, fleant. Sinit enim Deus iustissimè iniurias iniurijs compensari.

§. VII.

Ob eleemosynam pauperibus negatam, tamquam latro damnatur, vir aliqui Sanctus.

Simile quiddam accidit magno illi alioquin eremitæ Ioanni, qui ob minùs grauem causam, iustam tamen, vt Simeon. Sim. Me-
Salus indicauit, iam duci iussus erat. Hi- taphrasta
istoria apud Simeonem Metaphrastem his 1. Iulij.
verbis narratur: *Malefici quidam fecere eodem, acceptumq; corpus per fenestram proie-
cèrem domum prius dicti viri, maximè p̄y, &
Dei amantißmi. Cùm itaque non paruus exor-
tus esset tumultus, res delata est ad Magistratum. Is verò tulit sententiam, vt in furca sus-
penderetur dominus Ioannes. Cùm ergo abiiret
ad mortem, nihil apud se dicebat aliud, nisi:
DEVS Sali adsis mihi in hac hora. Cùm Deus
autem vellet eum seruare ex tali sycophantia,
venit quidam, & dicit Abbati Simeoni: O mi-
ser,*